Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 16. Martii.

M. BERTINO DIEUXIVOYE, Doctore Medico, Decano, Præside.

An Aër Parisinus salubris?

SPIRITUS caloris nativi sedes, æquè ac animæ corporisque commune vinculum est, sed adeo necessarium, utcùm naturâ suâ [a] cedens maximè, atque dissipabilis sit, ni quamprimùm reficiatur, solutâ partium unione, quibus constamus, totius compages sine morâ ruat. In instaurando spiritu, cibo potuque opus est, ut ex subtilissimo sanguine illius portio generetur. Attamen ad idem opus primas etiam tenet aër, ab eoque pernicitatem motus, substantiæque tenuitatem spiritus mutuatur, & habet, ut pervadendo corpori potissimùm natus, ceu lux aut radius Solis momento mobilis, morem priùs gesserit, voluntariique motus organa æthereus hic functionum interpres subierit, quàm ea exagitari, jusserit anima, ac pene adverterit. Tales sumus, qualis est aër, quem spiramus, atque ita hominum sors [b] aëre præsertim contineri videtur, à quo vitæ quidem & sanitatis, ut interitus etiam ac morbi insignes causas habemus, prout vel bellè comparatus salubritatem servat, ac puros, operationibusque eliciendis habiles spiritus edit; vel qualitate peccans, nebulosus, aut putris, illos nunc intemperie afficit; nunc labe fœdat, collatoque humoribus vitio, morborum [c] communem sementim abundè facit.

[a] *G. cap. v. meth. lib. 12.* [b] *G. artis medici. c. 8.* [c] *G. præf. ad com. 1 li. 1. Epi. Hip. & lib. de natura hum.*

DUM ita fatali necessitate aërem vivendi causâ haurimus, natura, ut eum sui motus imperio, ac legibus coerceret, respirationis, unàque transpirationis admirabilem artem invenit; illius in quâ per nares, & os, patentesque tracheæ arteriæ tubulos allectam qualemcumque auram sibi cordique pulmones maximè communicant; tumque vicissim æstuosas fuligines, vitalem flammam alioqui compressuras respirant & reddunt; hujus verò in quâ per cutim suis ubique spiramentis perviam, penetrabilis aër quicumque, familiaris aut infensus, intima subit, ex quibus per eos ipsos meatus fumosi halitus, caloris, cui aliàs suffocatio imminebat, recreandi gratiâ, identidem prorumpunt. In his profectò seu intus, seu foris, domi vel ruri degas, momenta sunt maxima ad salubriter vivendum, ut præ cæteris ambiens puritate suâ [d] ubivis gentium probetur, cœlique potior quàm alimenti ratio habeatur. Omnes enim cùm assuetis cibis consenescimus, aëre autem qui pravus, non item. Atque licèt vivere, vel mori, secundâ vel adversâ valetudine frui nullibi non detur, ægriùs tamen insalubri quis loco, quàm nitenti ac puro assuescat, minorique labore malus probo mutetur aër, quàm si consuetus vitiosusque cibus bellè temperato ac laudabili cuivis, sed insolenti sufficiatur. Sic igitur nulli [e] non hominum sorti, sexui, temperamento, ætatique bonitate insignis aër commendabilis est, secùs ac alimentum, [f] quod optimis dotibus conspicuum in se, attamen improbo sed familiari sæpe decedit.

[d] *Gal. com. 3. li. Hip. de hum. quemadmodum omnibus æquè conducit, ut optimum aërem spiritu ducant... Sic pravum omnes vitare decet.* [e] *Gal. ibid.* [f] *Hip. l. 2. Aph. 38. 50. li. 2. de mor. & li. de fla.*

ALVEIS hinc inde [g] Sequanæ velut ambabus ulnis Lutetia quondam in cunis pressè capiebatur. Sed orarum amœnitas tanta, ut sensim major, augmentoque primo nobilis, Regum mox deliciæ, gradatimque aucta ad eam amplitudinem conscenderit, quâ rerum potito Lodoico Magno, cæteras longè latèque superat. Et re verâ interminata pene est trans citraque flumen, loci velut ex quadruplici Urbe coagmentati capacitas, nec postmœriis illa mœnibusque suis ampliùs contineri valet. Ædificiorum in Urbe multitudo summa, earum πολυςέγων altitudo non vulgaris, eòque fertur, ut terna passim, quaternaque sibi invicem ad innumerabiles incolas capiendos superstructa, [h] vicosque ipsos habitatorum crebritate oppida tot esse crederes. Ergo soli totius, areæque Parisiensis jucunda suavitas, vel quod ab omni ævo Urbium conditoribus in voto fuit, oppidi ipsius fœlix ἀγωγή, & aquarum ampla scaturigo, rerumve omnium dives ubertas, quas [i] velut sanguinem in animantibus venæ, [k] confluentes fluvii, Sequanaque præsertim afferunt, ex distantissimis regionibus neminem non in Urbem invitant. Quo nomine frequentissima, [l] compendium orbis, ut dignitate Urbium [m] Regina, aut caput, suaque immensitate totius [n] Galliæ patria, imò generis humani [o] capax Lutetia potiori jure nunc celebretur, atque jam *cuncti* [p] *gens una simus.* Sed quod omne fert punctum, aëris Parisini ea est conditio, ut ipse quo modo probus est, ac ridet, tam hospitibus quàm indigenis, Urbs, si ὑγιαίνειν optent, omnium maximè competat. Et quidem ubinam in littore vel hortis, locis aut prædiolis salubritas ambientis major, quàm in agro Parisiensi, tantò hìc præstantior, quantò cùm ne momento quidem vivere liceat sine aëre, auram si quis spiret in illo, integrâ, ævique diuturnioris sanitate fruatur.

[g] *Jul. Cæs. li. 7. Stra. lib. 4. Geog.* [h] *Gal. com. li. 1. Hip. de Fra. de Roma.* [i] *Aristo.* [k] *Incauna, Matrona, Oxia.* [l] *Polemom rhetor Romam com-pendium orbis dicebat Gal.* [m] *Co. Pe.* [n] *Balsac.* [o] *Luca lib. 1.* [p] *Claud.*

[q] QUÆ situ ad Solis exortus, aquis synceris, & ἀποίοις, solo utcumque sicciori, plano, gramineo tamen, nec madoris experte, sylvis non obsito, cœlo caliginosis vaporibus haud circumfuso, sed liquido & aperto civitas commendatur, ista salubris. Numeris suis absolvitur, si cùm [r] Orienti patet, eadem etiamnum Septentrionem spectat, atque à Meridie tuta cum sit, graves ab Occasu nocendi causas non assumit. Istiusmodi se habet [s] Lutetia, cujus aërem Sol ab arce Vincennarum exoriens, quo nomine [t] Regibus hæc antiqua domus, sanitatisque custos fuit, ipseque Subsolanus mirum in modum castigant; maximè cum flantis ab æquore San-Dionysiano Aquilonis aurâ, putredinis causæ emendentur; situque declivis illa objecto monte San-Genovefæ tuta sit ab Austro, nebulosum vix admissura Favonium, quem Clodovœano monte sublatum, Passianus collis etiam utcumque tenet. Tenuis itaque purusque circumstat aër, qui affectus ut est à ventis [u] præcipuis, iisque omnium saluberrimis, aut qualis splendet in Urbe dominâ, in odium offensionemque populi nusquam incurrere, eive phthisim, variolas, pestem, aut alios morbos, ut nec Sequana in fontes sectus plumbeis canalibus calculum, dysenteriam, vel diarrhœam tamquam endemios affectus afferre potest. Qui quidem fluvius [x] Solis splendentibus radiis objectus, ac patens, arenoso nitentique currens alueo [y] molles hydraulis aquas, [z] putealibus, quæ duræ; vel [aa] fontanis, quæ vitiosæ, longè anteponendas depromit.

[q] *Hip. li. de aër. lo. aq.* [r] *Ibid. tex. 25.* [s] *Joan. Mart. in com.* [t] *Carolus V. cognomine sapiens domum versus Patrum Cœlestinorum cœnobium sitam à præfecto & Ædilibus Vrbis dono accepit, quâ usus est, ut aëris salubritate fretus, valetudini suæ consuleret. D. Poncet suo tract. de senect. Ead. de causâ Rex ipse arcem Vincennarum, quam perfecit, & nobilem villam Plaisance incoluit. S. Ludovicus, Carol. IX. & alii hoc aëre delectati sunt. Hist. Franc.* [u] *Hip. ibid.* [x] *Hip. ibid. text. 25.* [y] *Hip. ibid.* [z] *Franciscanis, Choleticis, sanctæ Genovefæ.* [aa] *Regniacensibus, quæ canales oblinunt & sensim obstruunt. Istiacis quæ lapidescunt & Bellavillæis, quæ brevi putrescunt.*

INSPECTA vernaculorum animantium [bb] exta, si bene habita sunt, locum incolis amœnum, sanumque fore portendunt. Attamen plena hæc priscæ superstitionis vaticinatio morari te non debet, nisi præ cæteris aër optimæ notæ ac laudabilis præsertim aspiret, à quo coloris, habitusque probitas, suspecta nusquam emergit, secùs ac quæ à polyhæmiâ vernaculâ ortum habet, ideo frequenti, & partitâ venæ sectione solvenda. Quamvis autem patrii cibi, panis scilicet Gonessiani, butyrique Vanvrensis; nec non vinorum Parisinorum, ut & Sequanæ potus salubritate Lutetia nulli inferior Regioni visa sit, aër tamen in illa vincit tenuitate sua, nativasque dotes semper conservat, per vicos innumeros, & edificiorum culmina toties collisus. Accedit Magistratuum in Rempublicam hoc nostrâ ætate studium singulare, ut per Urbem nitentes viæ plures crescerent, quò λαώφοροι omnes, aërii fluxus, puriorisque undæ capaces, magis perviæ, ac patentiores, ventosis spiritibus difflarentur, ne situ torperet aër, aut in eum palustris, cœnosusque odor disseminaretur, quem morbosi inquinamenti feracem, nec usquam pestis, quidquid deliret vulgus, ἀλεξίκακον esse suadet aversa tunc imminens vicinorum aura pestilens, cùm hinc primùm [cc] nitere vicos jusserat Proprætor, & inde perflabiles esse voluerat [dd] Urbis Præfectus. Ex his enim velut [ee] ob succensos ignes restituto ambiente, [ff] fœtor ille abominandus, [gg] communisque nocendi causa è civitate auffugit, quæ stagnantis aquæ, subterraneive specus, aut ominosi cujusdam propriique venti maculis nequaquam infesta, sic modò comparata est, ut ipsa mysticæ [hh] Navis sentina aërem Parisinum nidore non inficiat; suâ mephiti fœda illuvies non inquinet; purgamentum nullibi subsideat; sed potiùs exutâ omni qualitate alienâ purus, tenuis, lucidus, perflatusque aër in Urbe, eum spiritibus & sanguini civium nitorem, corporibusque symmetriam afferat, [ii] ut cum sub ejusmodi cœlo Heroes nascantur, Παῤῥησίας fortitudini, solertiæ, morum facilitati, & musarum cultui conjunctam, mentemque sanam in corpore sano tantis de causis nemo miretur.

[bb] *Vitru. cap. 4. l. 2. arch.* [cc] *Proprætoris decreto urbs diligenter & ad amussim expurgata primùm fuit scilicet anno 1667.* [dd] *At anno sequenti 1668. Rothomagum, anno autem 1669. Ambianum pestis invasit. Rothomagenses, à Facultate Medicos, qui opem ferrent per optarunt. Ædiles Ambianenses datis ad facultatem litteris consilia, optimasque suffituum formulas pestilentis aëris purgandi causâ expostularunt, quas, ne tam necessario pietatis officio deesset; illa pro more quamprimùm communicavit. Interim cœnosus ex urbe abierat fœtor, atque populosissima Lutetia, nec citra numen, à pestilenti vicinorum aurâ vindicata est.* [ee] *Pestem ex Æthiopiâ in Græcos imminentem, accensis per totam civitatem aromaticis ignibus, ut eâ ratione purus aër efficeretur, Hippocrates fugavit. Sora. in vita Hipp. & athenienses. C. Et Gal.* [ff] *Cœnosus palustrisque odor pestilentiam infert ex Hip. l. de hum. aër ob magnum fœtorem corruptus diligenter fugiendus ex Gal. ibid. Com.* [gg] *Aër omnis vulgarium morborum causa est. Hip.* [hh] *Stemma gentilitium Lutetiæ navis est.* [ii] *Παῤῥησία quasi πᾶν ῥησία, totus sermo, & oratio. Dicendi facilitas. Παῤῥησιάζης in dicendo facilis.*

Igitur Aër Parisinus salubris.

Proponebat Lutetiæ BERTINUS-SIMON DIEUXIVOYE, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1684.